Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18. Martii.

M. CLAUDIO QUARTIER, Doctore Medico, Præſide.

An vitandus ſomnus ſtatim à cibo?

MINUS cautè ſuis Ille rebus proſpicit, qui pulchræ & amabilis Sanitatis tuendæ ſtudio molliori ducitur, cum jure cenſeatur ſumma Mortalium felicitas. Sanitatis ope & ſubſidio ad præclaras actiones aditus datur: Eâ Corpori denegatâ ſœpiſſimè marcet Animus, & hujus fit conſors inteſtinæ calamitatis, quæ nata cum ipſo virtutum ſemina non ſinit adoleſcere. Opus eſt igitur in hunc vitæ tenorem diligenter incumbere, quo, qui laudabilem Corporis habitum ſortiti ſunt, his Naturæ commodis & muneribus terque quaterque beati, conſtanter gaudeant. Ii verò quorum Corpus ita conſtitutum eſt, ut cauſarium ſit lacerum & caducum, ac proindè variis cladibus & procellis magis objectum, Artis divinæ ſalutaribus inſtitutis utcumque ſuſtineant, & ab acerbiore fato liberent. Utriſque idcircò conducet aër ſalubritatis dotibus celebris; Omnis error in victu fugiendus; nunquam proderit otio & ignaviâ torpere, ſed exercitationibus aſſuefieri, quibus, ut triticum ventilationibus, Corpus perpurgatur, alitur, nitorem & robur acquirit; Juvabit item nullis impeditum excrementis tenere; Muſarum inimicæ veneri vacare non crebrò, cujus abſtinentia promittit grandius ævum; Animi motibus injicere compedes; in vigiliis ſervare modum; vitare tandem intempeſtivum ſomnum, eique ſic indulgere, ut, quam inſpirat Natura viam tutiorem expediendæ ſalutis, ab eâ nuſquam aberrare liceat.

CUNCTIS Animantibus communis ſomnus, deditæ laboribus vitæ præſens eſt perfugium: verè Homini λυσιμέριμνος, quippè huic etiam datus ad ſolicitudinum medicinam. Illo pretioſo Naturæ dono Animus quaſi ſevocatus à ſocietate & contagione Corporis feriatur: Corpus labens & inclinatum mirificè levatur. Ac quomodo Milites triſtibus excubiis, bellique duriſſimis operibus penè exanimati, ut vires reficiant, jubentur ad ſigna convenire, ibique paulisper otiari, ut indè, iis redintegratis, acriores ad pugnam redeant, noviſque & ingentibus cœptis animoſè dent operam: pari modo calor & ſpiritus vigiliis, atque cogitandi ſentiendi movendique aſſiduitate non parum exhauſti, quicquid in iis fuit acceptum detrimenti, ſarciunt eo tempore, quo ex quieta mente & bona cerebri temperie naſcitur hæc functionum penè omnium animalium ceſſatio, adjuvante plerumque ſucci benigni anathymiaſi, quæ ad ipſum ut πρῶτον αἰσθητικὸν ſeu fontem ſenſuum fertur, eos amico quodam & familiari vinculo ligatura. Et licet Homines per vigiliam maximè vivant, & tunc parvi ſint pretii, cum vigilare ceſſant, hos tamen vis ſomni domina ſummo jure petit, cui, ſi ſeſe dedere, ejuſque lenibus imperiis cedere recuſent, certo eorum capitis exitio futurum. Naturæque placitis & communi omnium bono ſancitum eſt, diurno nocturnum eſſe ſalubriorem, ut diurni laboris moleſtiæ blandâ hacce remiſſione caſtigentur, quem etiam ſuadent cadentia ſydera, dulcem invitant tenebræ, & illi dicatæ tranquilla ſilentia noctis.

SOMNUS ad rationem ſanitatis dirigi debet, & Naturæ votis reſpondere, quæ cum ſenſuum quiete ſolidam humorum & ſpirituum inſtaurationem nova ex aſſumptis cibis generatione molitur. Tunc enim tota ad res ſuas domeſticas attenta, mutuo partium ſibi ſpontè inſervientium auxilio coctiones perficit: Et ne tam diu quaſi mortua & ſepulta veterno jaceat, ſomnum moderatum exigit, qui viſcerum cibus eſt, fomentum, recreatio. Sicut autem modum excedens vigilia Corpus impensè macerat & exedit, ſoletque intemperiem ſiccam inducere, ſanguinem & ſpiritus ſuperſtites jamdiu agitatos immutare, biliqué faces admovere, quæ ſoluto fræno priſtino licentiùs furit, & tumens, exultans inque flammas erumpens, modo febres varias, modo dyſenteriam, choleram, pleuritidem, amplamque morborum hiſce affinium fœturam producit: Similiter ſomnus plenior, & ultra juſtos fines terminoſque progreſſus, occultæ eſſe ſolet perniciei viſceribus, dum tunc temporis longiori morâ collectus ingenio ſuo vorax nativus calor, ſui ipſius pabulum depaſcitur, adeo ut, qui ſervator & ſoſpes fuerit deſideratus, hoſtiliter ſæviat & graſſetur in vitam, cujus intereſt maximè fundum non exareſcere. Sic quæ refertur accepta Naturæ vita, hocce caſu miſerabili divulſa concidet, dieſque fatalis maturabitur, licet ab eâ, nec ars ulla, nec ullum pharmacum poſſit quemquam vindicare.

NEQUE poſtrema quoque curarum eſſe debet (ne belluarum more ulla alia ſit niſi vorandi ac mox dormiendi viciſſitudo) ut inter cibum & ſomnum interponatur aliquod intervallum, quo tum exercitationibus levioribus Corpus ventiletur, tum Animus ludens & ſuaviter otioſus, jocundis ad ſui relaxationem colloquiis oblectetur, quæ neque gravent Corpus, neque vim ventriculi concoctricem interturbent: atque cum in inflammationibus internis & acceſſionibus febrium quandiu intenduntur & vigent, ſomnus æſtimetur admodum pernicioſus, magnoque conatu ſit prohibendus, qui cæteris temporibus non mediocri futurus eſt adjumento: haud aliæ ſunt benè valentibus ſervandæ leges, nec momenta alia ponderanda, quos ita parari & inſtrui oportet ad ſomnum ineundum, ut nunquam ab illius tempore minus apto, ſeu infeſto & iniquo non abhorreant, eamque huic ſe tradendo captent opportunitatem, quâ non tumultuoſus ſed placidus concilietur, quem purgatiſſima, ſi quæ eveniant, comitentur inſomnia; E quo Natura, quæ priùs in operibus languidiùs verſabatur, excitata, recreatam ſe ac planè reſtitutam perſentiat, factâ videlicet acceſſione novâ caloris & ſpirituum naturalium vitalium animalium ſpecie diſtinctorum, qui nec ullo vitio, nec ullis ſordibus inquinati, toti ſplendeant, ex quorum uberibus copiis habilis membris venit vigor, totius Corporis emergit integritas, Animuſque ad cogitandum melior redit.

SOMNUS hiſce omnibus fraudat bonis, ſexcentiſque præbet incommodis rudimentum, qui cibos mox ingeſtos in ventriculum quam proximè ſubſequitur: Siquidem dum aridi cum humidis aliique cum aliis diverſæ ſubſtantiæ confunduntur inter ſe atque permiſcentur, nec non frangi & comminui, mutari & concoqui incipiunt, Naturæ vis omnis gravatur & in poteſtatem ac ſævitiam humorum ſuperfluorum venit, quibus expurgandis per vigilias ſemitæ patent, quæ per ſomnum intercluſæ perhibentur; qui ut duræ ſunt indolis perditique moris, œconomiæ naturalis ſtatum pedetentim convellunt: Ecquis enim credat, incluſis his in Corpore peſtibus, tutam & turbarum ſecuram diutiſſimè vitam ſtare poſſe? quippè non tantum in venas irrepunt inficiuntque ſanguinem, ſed fumoſis exhalationibus ſacram Palladis arcem adoriuntur, obſident & nativam ejus temperiem peſſundant: Hæ vero in ſerum moleſtiſſimum ſolutæ, fluxionum multiplicis generis ſunt parentes, alias aliaſve partes ſubjectas viciſſim affecturæ, nova quærentes loca ubi veſtigia figant; pulmoni ſæpè pacem adimunt, ipſique labem inurunt inemendabilem: Capite coërcitæ, gravedinem importunam pariunt, ſerena ſenſuum organa impurâ ſuâ illuvie fœdant, ſoporem inducunt vitæ inimicum & inſidioſè rapientem; paralyſim, apoplexiam alioſque graviſſimos affectus accerſunt: adeo pervertitur atque depravatur iſthæc naturalis affectio in iis quos tam adverſo tempore complectitur & occupat: quos denique dormientium placidiſſima quies perpetuò deſerit, & vigilantium ad omne miniſterium agilitas ſummè expedita deficit.

Ergo vitandus ſomnus ſtatim à cibo.

Proponebat Pariſiis JOANNES-MICHAEL GARBE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1683.